

REVERENDISSIMO AC EXIMIO DOMINO

DOMINO

**JACOBO NICOLAO FULK**

INGENUAE AC EXEMPTAE ECCLESIAE AD ST. PETRUM BUDISSAE  
 CANONICO CAPITULARI, SENIORI, CONSISTORII ASSESSORI  
 ETC. ETC.

**JUBILAEUM SACERDOTALE CELEBRANTI**

AD DIEM III. CALEND. OCTOBR. MDCCCXXVII

PIE GRATULANTUR

PAROCHI ET CAPELLANI CIRCULI CROSTICENSIS.



BUDISSAE

EX OFFICINA ERNESTI AENOTHEI MONSIL.

*David N. Kapf. Fučman w Radworju.*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

---

**P**laude ter felix Pater, atque nostri  
Coetus illustris Senior, colende  
Omnibus vere meritis et annis,  
Plaude triumphans!

Festa proventus renovas sacrata,  
Cum hostiam primam juvenis litasti,  
Dignus in messem Domini vocatus  
Sponte minister.

Litteris clarus, pietate praestans,  
Integer zelo, patiens laborum,  
Coelitus ducis juvenes senesque  
Tramite legis.

Eximis culpis, pietate lenis,  
Corda virtutis stimulas amore;  
Vineae cultor Domini gregisque  
Sedulus audis.

Strenuos vitae Superi labores,  
Ut coronarent, Tibi gratiosi,  
Tempus hoc longum vegeto dedere,  
Ut sata carpas.

78  
Quinque bis lustris petis en peractis  
Jubilans devoto animo sacerdos  
Debitas donis Tibi distributis  
Reddere grates.

Plausibus templum resonat canoris,  
Ara festi thure calet sabaeo,  
Concinunt fratres, populique coetus  
Carmina laudis.

Dona fers intacta Deo precando,  
Quod Tibi insignem dedit ipse metam  
Assequi clemens aliis negatam  
Sospite cursu.

Jungimus sacris pia vota cuncti:  
Computa longam seriem dierum,  
Firmus inter nos vigeas, Tibi sit  
Grata senectus.

Serus in regno capias beato  
Coelitum sedes meritis paratas,  
Mentibus gratis Tua semper acta  
Laude ferentur.

M 26 XXII 10 B